

Roma .

Bergman, Johan,

*81 A a Br. qv.*



National Library  
of Sweden

o BERGMAN J.

Vitt  
Su. pi. fr. spa.

(B)

4

# ROMA

---

"Alme Sol, curru nitido diem qui  
promis et celas aliusque et idem  
nasceris, possis nihil Urbe Roma  
uisere maius."

(Horatius in Carmine Saeculari.)





## ROMA.

"Alme Sol, curru nitido diem qui  
promis et celas aliusque et idem  
naceris, possis nihil Urbe Roma  
uisere maius."

(Horat., Carm. saec.)

### I.

Laudabunt alii miranda recentia mundi,  
Oceani populos, quos noua fama refert:  
uel felicia quos ad opes conmercia rerum  
prouexere nouas sole sub occiduo,  
stirpe uel e prisca genitos, Orientis in ora,  
quos noua uis uitae Martis ad arma uocat.  
Aut recinent Gallos Germanorumque triumphos,  
Anglorum famam tollere laude uolent.  
Gloria parta recens! Hodierna, hesterna canentur,  
Daedaleaeue artes Herculeusue uigor.  
Me non illa mouent. Resonant mea carmina soli,  
Urbs uetus, Urbs aeterna, aurea Roma, tibi.  
Artificum sedem sapientis regnaque mentis,  
humanum genium, te, geniumque loci,  
armorum celebrem, morum legumque parentem,  
dignam, quam laudet musa Latina, cano.

At desunt uires, desunt et idonea uerba,  
 iam tantos cantus instituisse pudet.  
 Musa, mihi fer opem, mihi suggere dicta canenti  
 magnanimae laudes Urbis honorificas!

## II.

Terra sacrata, addens ad CAESARIS ossa LEONUM  
 tot cineres claros! Quae meminisse potes!  
 Adde renascentis VICTORES legiferosque  
 Italiae, regni lumina tanta noui.  
 Quamuis innumeris recolas ab origine saeculis  
 infinita tibi quae monumenta manent,  
 est tibi diuinum decus, est aeterna iuuentas,  
 inuenies nullam, quae tibi praeniteat,  
 Roma triumphatrix olim moderabilis orbis,  
 Roma poëtarum mater amabilium,  
 urbs ornata lyris liquidorumque arte colorum,  
 urbs quae »spiranti» reddit in »aere» deos,  
 sacricolae summi posthac sanctissima sedes,  
 quae pia relliquias seruat apostolicas,  
 urbs ubi Libertas post tot discrimina rerum  
 sedem iam stabilem prospera constituit.  
 Urbs immortalis, senioque intacta uieto,  
 quae splendore nouo redderis usque recens,  
 reginaeque fruens per saecula semper honore,  
 semper et inuicti nominis, altisoni,  
 olim terrifico praestringens fulmine gentes,  
 nunc socians gentes ad tua festa uocas.  
 Saeclorum per saecula parens augusta caputque  
 humani generis, splendida Roma, manes.

Praefulgente nites diuinae lumine linguae  
     murmura per noctis dissona barbaricae.  
 Omnis in orbe uigens sermonis cura venusti,  
     omnis amor pulchri, candidus artis amor  
 te patriam veram, ceu matrem te veneratur,  
     te, sacra Roma, redux uisitat usque frequens.  
 Ore tuo loquimur, quicumque in Apollinis arte  
     uersamur, pugnans ultima, fida cohors.  
 Pugnantem dico, nam nunc defenditur illa  
     arx uetus eloquii, quae dominata fuit.  
 Sit tibi laus et honor, noua dignaque Roma parente,  
     quae reuocas ueteris carmina docta lyrae  
 tempore, quo, quidquid sermonis restat amati,  
     obruit oblatrans in pia barbaries!  
 Lingua neque est, neque erit, resonet quae dignius illa  
     uoce triumphantis Caesaris ingenua,  
 uoce sacra, quae post ad sancta sepulcra uocabat  
     ex omni populos orbe precante pios.  
 Bellica uox eadem nec non pia nuntia Pacis  
     illa fuit, blandae lingua poësis erat,  
 mollia Nasonis qua carmina culta sonabant,  
     uel qua grandisonum nobile finxit epos,  
 Mantua quem genuit, pius ille et amabilis heros,  
     quem tenet, ossa tegens, ardua Parthenope.  
 Apta foroque armisque et amorum lusibus apta  
     uidisti uarias, lingua superba, uices!

### III.


Saecula praetereunt, redeunt noua saecula: semper  
     restat, Roma, tuus, multiplicatus, honor.

Tertia Nestoreos aetas conpleuerat annos,  
te ter dena fere saecula concelebrant.  
Depositos seruas super ardua saxa Palati  
aetatum cineres uix numerabilium.  
Moenia priscorum remanent primordia regum,  
ignotique subest ara uetusta dei,  
matris et Idaeae quadrato amplissima saxo  
aedes sancta, memor temporis Hannibalis.  
Ecce gigantea constructa Palatia mole,  
rudera nunc, olim Caesaris alta domus!  
En tibi templa manent gradibus sublimia celsis  
quae genus armatum condidit arte pia,  
templa ruinosis quae stant sub colle columnis  
fracta Palatino, condita valle Fori.  
Atria virgineae signis pulcherrima Vestae  
luturnaeque lacum fonte salutifero,  
quin etiam antiquam reducem sub monte Mariam  
parietibus pictis, prisca sacella, vides,  
rostra, nigrum lapidem, scripturae signa vetustae  
nuper et effossi prisca sepulcra Fori,  
Caesareosque arcus, Capitolia plena deorum  
mirandique operis tot monumenta patrum.  
Amphitheatralem Flauii tum respice molem  
magnificam, memorem sanguinis innocui.  
En domus alta Petri Tiberis trans flumina flauii  
gentes christicolae ad pia sacra vocat.  
En noua splendenti Capitolia marmore structa  
Victorisque noui iam monumenta nitent.  
Nescia, Roma, necis rediuiuo semper honore  
fortia facta vides magnanimosque viros.  
Bustorum series seruat regina uiarum,  
Appia, magnificas et super et sub humo,

praeteritae gentis qua milia multa quiescunt  
 »Manibus» addita »Dis», multa sacrata Deo.  
 O sancti colles et subdita montibus arua,  
 nusquam dulcior est ossibus ipsa quies!

## IV.

Felix, Romanos licuit cui uisere colles  
 et sanctum pedibus tangere posse solum!  
 Felix, cui subolem Martis gentemque togatam  
 noscere praesenti voce oculisque licet,  
 felix, Italicae uocis cui personat aures  
 melle sonus dulci dulcior ore fluens!  
 Denique ter felix, quem laurus Apollinis illic  
 ornabit uatem, carminis artificem!  
 Non tantum mea dicta ualent non carmine balbus  
 praemia tanta ausim poscere frigidulo.  
 Sed mihi uota sat est uouisse Heliconis in umbra  
 pro te, Roma, die prospera honorifico.  
 Nomen, Roma, tuum nullo delebitur aeuo,  
 dum feret humanum terra uetusta genus.  
 Exoriare nouos semper rediuiua per annos,  
 ingenii lucisque erige celsa faces!  
 Grande sepulcretum saeculorum, Roma, fuisti,  
 morte sed ipsa cares, te noua uita manet.  
 O uitale genus, immo immortale, Italorum,  
 sera uetustatis dignaque posteritas,  
 o genus exoriens, aeterni nominis haeres,  
 surge, caput lauru nobile cinge noua!



HOLMIAE MDCCCXI  
TYPIS DESCRIPSIT SOCIETAS TYPOGRAPHICA  
OSCARIS EKLUND.